



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

1 V. B. Virgo amte statum beatitudinis fuerit aliquo modo nostræ salutis
causa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

excellenter est (vt supra ostendimus) ergo etiam adoratio, quæ in illa nititur, perfectior est. Et confirmatur, nam propter hanc causam Ecclesia potissimum veneratur Virginem, & matrem Dei, & hanc rationem maxime prædicat, & omnibus præponit, ergo intelligit ob hanc causam illi deberi potissimum cultum. Adde hanc dignitatem matris requirere gratiam tanquam congruentem, & veluti connaturalem dispositionem, & ideo illa vna adoratione, qua adoratur mater Dei, vt sic, etiam coadoratur eius sanctitas, & omnis eius perfectio sub altiori quadam ratione, quatenus scilicet omnia manent ex maternitate Dei, & ad illam ordinantur. Et hic videtur perfectissimus modus adorationis Virginis, & maxime proprius, & accommodatus dignitati eius.

Dubium 3. Vltimo inquiri potest à quo habitu oriatur hæc adoratio. Ad quod tribus modis responderi potest. **B** Primo, vt oriatur à virtute dulciæ, à quo oritur adoratio aliorum Sanctorum, quia hæc virtus inclinatur ad honorandam personam creatam, propter quam cunque dignitatem creatam supernaturalem, vel supernaturali regulæ conformem. Sed hic modus non videtur admodum probabilis, neque consentaneus ijs quæ dicta sunt. Quia ratio formalis huius adorationis est valde diuersa, & licet sit supernaturalis tamen est in diuerso ordine, & constituit actum valde diuersum, non ergo est cur dicamus habitum esse eundem. Secundo ergo dicitur proficisci ab eodem habitu Religionis, à quo oritur Dei, & Christi adoratio. Primo, quia licet hæc dignitas matris creata sit: tamen respicit excellentiam increatam, & inde sumit valorem suum, quod videtur sufficere ad vnitatem habitus. Vnde in humanis idem habitus, qui inclinatur ad honorandum Regem, inclinatur etiam ad honorandum matrem Regis vt sic. Videntur enim hæc esse quasi correlatiua, & ideo consequentiam quandam inter se habere, quæ satis est, vt in eodem habitu, seu principio radicentur. Et hoc spectare videtur, quod sepe Patres dicunt, totum honorem matris ad filium referri. Tandem, quia hæc dignitas (vt dixi) pertinet ad ordinem vnionis hypostaticæ, ergo adoratio, quæ in illa nititur, pertinet ad illam virtutem, quæ vnionem hypostaticam veneratur. Sicut enim dulcia, quæ respicit gratiam creatam, completitur omnia quæ sunt illius ordinis, ita religio, quæ respicit excellentiam increatam, & consequenter gratiam vnionis, comprehendet omnia, quæ in eodem sunt ordine. Hic dicendi modus videtur satis probabilis.

Responsio Tercio vero dici posset hoc genus adorationis constituitur propriam virtutem, & habitum distinctum à cæteris, quia fundatur in singulari quadam dignitate propria, & intrinseca creaturæ. Quod satis esse videtur, vt distinguatur à virtute religionis, vt significare visus est D. Tho. in citato loco ex 2. 2. reuocans hanc adorationem potius ad dulciam in communi, quam ad religionem. Quia licet vltimate totus hic honor matris, cedat in honorem filij: proxima tamē & immediata ratio eius diuersa est, & non consideratur vt respectiua, sed vt absolute constituit hanc personam excellentem, & veneratione dignam: cum vero hæc dignitas singularis sit inter omnes creaturas, mirum non est, quod singularem, ac propriam virtutem requirat. Quapropter hic etiam dicendi modus probabilis censendus est. Quid autem simpliciter verius sit, alijs iudicandum relinquo.

DISPUTATIO XXIII.

In sex Sectiones distributa.

De Beate Virginis intercessionem, atque inuocationem.



Ateria huius disputationis reliquis Sanctis communis est. Et quoniam de illa nihil in superioribus diximus, non omnino generalia principia prætermittimus, præsertim cum hæretici, qui

A hanc Virginis intercessionem destinantur, nihil singulare afferant quod in reliquos Sanctos maiori ratione non conueniat. Curabimus tamen in ea præsertim incumbere, quæ Beate Virgini sunt propria. Quoniam vero inuocatio intercessionem supponit (si enim Beata Virgo pro nobis non intercederet, superuacanea esset eius inuocatio) idcirco prius de illius intercessionem, ac deinde de inuocatione disseremus.

SECTIO I.

Vtrum Beata Virgo ante statum beatitudinis fuerit aliquo modo nostræ salutis causa.

Non defuerunt hæretici, qui dicerent Beatam Virginem esse præcipuam salutis nostræ causam, vel per modum efficientiæ, vel per modum meriti, & redemptionis. In quem errorem videntur incidisse hæretici, quos refert Epiphanius, hæc. 78. & 79. Et eandem Ecclesiæ Catholicæ tribuunt huius temporis hæretici. Quoniam Catholici Virginem oramus, vt nostri misereatur, eamque nuncupamus matrem gratiæ, & misericordiæ, reparatricem sæculi, & mediatricem generis humani. Addunt etiam nos dicere Virginem, non tantum orare Christum, sed etiam ei imperare. Hic tamen error nullum habet fundamentum. Quod vero sit falsa calumnia, quam Nouatores imponunt Catholicis, ex dicendis constabit.

C Dicendum ergo est primo Beatam Virginem non fuisse per modum causæ efficientis propriam, aut principalem causam nostræ salutis. Hæc conclusio est certissima, & in primis si intelligatur de causa prima, vel etiam de causa principali, ac per se nostræ salutis, est certa de fide. Quia Beata Virgo, nec Deus est, vt sit causa prima alicuius effectus, nec virtutem habet iustificandi, aut dandi gratiam, vel gloriam: cum etiam hoc sit proprium solius Dei, iuxta illud Psalm. 83. gratiam & gloriam dabit Dominus. Vbi nomine gratiæ, omne supernaturale donum comprehenditur, iuxta illud Iacobi primo. Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desorsum est descendens à patre luminum. Quod si hæc conclusio intelligatur de causa efficiente quacunque ratione, vel principali, vel instrumentali, non est expresse de fide. Quia neque est expressa in Scriptura, neque tradita, aut definita ab Ecclesia, neque ex principiis fidei euidenter colligitur: tamen est certa, ita vt oppositum asserere, plus sit quam temerarium. Quia est præter omnium Theologorum doctrinam, & sine fundamento. Neque enim Beata Virgo habet de se hanc efficientiam instrumentariam, neque vlla probabili autoritate, vel ratione dici potest, Deum illam eleuare ad huiusmodi actionem: quin potius solam Christi humanitatem sentit Ecclesiæ esse instrumentum Deo coniunctum ad efficiendam gratiam: sacramenta vero esse instrumenta ipsius humanitatis. Quod autem Beata Virgo sit etiam instrumentum Christi inauditum est, alias etiam posset dici esse instrumentum ad consecrandum (quod esset hæreticum) nullo igitur modo est causa efficiens gratiæ, præsertim si ex lege ordinaria, ac regulariter loquamur. Nam si quis dicat per modum miraculi interdum assumptam fuisse, vt instrumentum ad alicuius sanctificationem, verbigratia, Ioannis Baptistæ, vel alterius, id esset quidem incertum: non tamen aliqua censura dignum.

Vnde vltius, si eadem conclusio generalius intelligatur de omnibus beneficiis, non solum supernaturalibus, sed etiam naturalibus, vt sunt salus corporis, bona temporalia, &c. proportionem seruata eandem habet veritatem. Quia Beata Virgo, nec causa prima potest esse horum bonorum, nec causa secunda principalis, nec ordinarie potest illa efficere, etiam instrumentaliter: nili per modum miraculi,

S 2 quando

Epiphanius.

Virgo non fuit proprie causa nostræ salutis.

Psalm. 83.

Iacobi 1.

D. Thom.

quando Deus ei virtutem præstat. An vero ex Dei dono concessum sit B. Virgini, & positum in eius voluntate, ut hæc bona, vel omnia, vel aliqua possit in hominibus operari miraculose, & instrumentaliter, in hoc nihil inuenio certa fide esse definiendum: probabilius tamē existimo hoc esse proprium animæ Christi, cui potentia faciendi miracula per modum habitus, seu permanentis facultatis data est, & ideo non tantum rogando Deum, sed etiam volendo, & imperando creaturis, operatur.

*Quomodo
Virgo salu-
tis nostræ
causa fuerit.*

Dico secundo, quamuis Beata Virgo, nec nos redemerit, nec aliquid de condigno nobis meruerit: tamen impetrando, merendo de congruo, & ad Incarnationem Christi suo modo cooperando, ad nostram salutem aliquo modo cooperata est. Prior pars est certa de fide, quia esse mediator Dei, ac hominum proprie, ac perfecte solius est Christi, ut in præcedenti tomo, in q. 26. probatum, & explicatum reliquimus. Posterior vero etiam est clara, scilicet quod Beata Virgo tribus modis ad salutem nostram operata fuerit. Primo merendo de congruo Incarnationem. Secundo orando, & petendo, & quamdiu fuit in via, de congruo merendo nobis salutem. Tertio concipiendo Christum nostræ salutis authorem. Quæ omnia ex dictis in superioribus satis patent. Et eisdem modis sepius Sancti Patres Beata Virgini attribuunt, quod nostræ fuerit salutis causa, quos late suprarctuli, disput. 18. sect. 4. agens de excellentia gratiæ Virginis, & disp. 3. sect. 5. explicando locum illum Gen. 3. Ipsa conteret caput tuum. Præter quos videri possunt Irenæus, lib. 3. cap. 33. Anselm. lib. de Laud. Virg. cap. 9. Fulgent. sermo. de Laudib. Mariæ, ex partu Saluatoris, ubi egregie opponit Mariam Eux, ut sicut hæc fuit humani casus principium, ita illa fuerit nostræ reparationis exordium, & causa, Vnde Aug. ser. 17. de Nati. Auctrix peccati Eua, auctrix meriti Maria. Et Innocent. 3. sermo. 2. de Assumpt. Quod damnauit Eua, saluauit Maria. Quæ comparatio prædictum Sanctorum sensum exponit. Eua enim non fuit propria, ac directa causa humani casus, quia in ea non peccauimus, dicitur autem causa nostræ ruinæ, quia Adamum ad peccandum induxit: ita igitur B. Virgo non fuit per se causa nostræ salutis, nec nos redemit, nec de condigno nobis meruit: dicitur ergo causa, quia nobis Christum genuit, & aliquo modo ipsum nobis promeruit, & obtinuit. Quo sensu dicit etiam Bernard.

*Irenæus
Anselm.
Fulgen.*

*August.
Innocent.*

Bernard.

German.

Andreas.

Ephrem.

serm. 98. Per te Virgo sancta, calum repletum est, infernus euacuatus est, & ruina celestis Ierusalem instaurata. Et infra, Maria omnibus facta est, sapientibus, & insipientibus copiosissima charitate debitorum se fecit, omnibus misericordia sinum aperuit, ut de plenitudine eius accipiant vniversi, captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, Angelus letitiam, tota Trinitas gloriam, denique filij persona carnis humana substantiam, ut non sit, qui se abscondat à calore eius. Et Germanus sermone de Zona Domini, sic Virginem alloquitur. Non est vlla saries tue defensionis, non est numerus tuorum beneficiorum. Nullus enim est, qui saluus fiat, nisi per te Virgo sanctissima, nemo est qui liberetur à malo, nisi per te ô purissima: nemo est cui donum concedatur, nisi per te ô castissima, nemo est cui miseretur gratia, nisi per te ô honestissima. Quæ omnia per Christum, quem ipsa genuit, veritatem habere intelligenda sunt. Quo modo etiam dixit Andreas. Ierosolymit. orat. de dormit. Virg. Sola præter naturam fuit electa ad naturam renouandam: sola deseruit opifici vniversæ naturæ. Quod infra explicans sic loquitur ad Virginem, Rex desiderauit gloriam tuæ pulchritudinis & adamauit diuitias tuæ Virginitatis, & in te habitauit, & inter nos fixit tabernacula, & per te Deo, & Patri nos reconciliauit. Similiter Ephrem. orat. ad Virginem, inquit. Per te reconciliati sumus Christo, Deo meo, Filio tuo: tu captiuorum redemptio, & omnium salus, Aue pax, gaudium

A & salus mundi: aue mediatrix gloriosissima, aue vniversæ terrarum orbis conciliatrix. Deinde Petrus Damianus, Pet. Dama. sermone de Annunciatione, Euocatur celestis ille conuentus, inquit Deus consilium, cogit concilium, facit Deus sermone cum Angelis de restauratione eorum, & de redemptione hominum, ac statim de thesauro diuinitatis Mariæ nomen euoluitur, ac per ipsam, cum ipsa, & in ipsa totum hoc faciendum decernitur, ut sicut sine ipso nihil factum est, ita sine illa nihil refectionem sit, & multa similia habet sermone de Assumptione, ubi post multa concludit: In Virgine virga, & baculo cruce, peccatorum spes, & consolatio sita est, quemadmodum Propheta clara voce declarat, dicens. Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Et sermone primo de Natiuitate Virginis. Hodie, inquit, nata est illa, per quam renascimur omnes, quod tum illa, tum in duabus sequentibus concionibus eleganter prosequitur. Denique Richard, Victorinus, ca. 26. in Cant. Talis, inquit, fuit in virtutibus, tantaq. fuit eius charitas, ut non solum ad eius gentem Iudeos videlicet, extendetur: sed ad ignotos, & notos, ad omnes deniq. homines dilatata fuerit, pro his indefinenter orauit, pro his sollicita fuit, pro his orando exaudita fuit, dicente ad eam Angelo Gabriele, inuenisti gratiam apud Deum, scilicet quem querebas. Omnium salutem desiderauit, quasiuit & obtinuit: imo & salus omnium per ipsam facta est, vnde & mundi salus dicta est.

*Richard.
Victor.*

SECTIO I.

Virum B. Virgo nunciat in celo existens ad nostram salutem cooperetur, pro nobis intercedendo.

C Non inueui aliquem in particulari negasse Beatæ Virginis intercessionem potius, quam aliorum Sanctorum, neque potuit hoc in alcuius mentem cadere, seruos nimirum posse rogare pro nobis Deum: non vero matrem. Illi vero hæretici, qui generaliter, & in vniversum negarunt Sanctos intercedere pro nobis, idem de Beata Virgine docuerunt. Horum author Vigilantius fuit, ut testis est Hieronymus, lib. contra illum, quem sequuti sunt Henriciani, ut tradit Bernardus, sermon. 66. in Cantica: & VValdenfis, ut refert Antonin, quarta part. titul. 11. capit. septimo. §. secundo. Cathari, ut refert Turrecremata in summa de Ecclesia, libr. 4. part. 2. capit. 35. & Ioannes V Vicleph apud VValdensem tomo tercio, de sacramentalib. capite 108. Fundamentum horum esse potuit, vel quia inutile putarunt, quod Beata Virgo intercedat pro nobis, cum Deus sit paratissimus ad benefaciendum nobis: vel secundo, quia putant hoc esse iniuriosum Christo, quia hoc est ponere alium mediatorem præter ipsum, ac si eius intercessio non esset sufficiens, vel denique quia existimant sanctos ignorare res nostras, & ideo non posse excitari, ut nobis quicquam postulent.

*Hieronym.
Bernard.
Antoninus*

*Turrecra.
VValdenf.*

Ex quo tertio fundamento videtur ortus secundus error, quem Lutherani sectantur, Beatam Virginem, & alios Sanctos in genere, & in vniversali intercedere pro nobis, quia in communi cognoscunt indigentiam nostram, labores, pericula, &c. Quæ cognitio sufficit, ut ex charitate moueantur ad opranda: & petenda nobis diuina beneficia: at vero in particulari negant Sanctos intercedere, hoc, vel illud beneficium huic, vel illi persone petendo, quia ignorant, quid vnusquisque desideret, vel quare indigeat.

Dicendum vero est primo Beatam Virginem pro nobis in celo orare, ac intercedere. Est de fide ex communi sensu Ecclesiæ, & traditione. Et probari in primis potest testimoniis, & rationibus, quibus probari solet in genere Sanctos orare pro nobis. Nam si alij pro nobis intercedunt, multo magis id præstabit Beata Virgo, quæ & gratia apud Deum, & cha-